

A second Letter of Dr. John Wallis on the same printed Paper  
of *Franciscus Du Laurens*, mention'd in the next fore-  
going Transactions.

**D**ixeram, vir clarissime, in fine cujusdam ad Te Epistolæ, nonnisi ex multis pauca, ea esse specimina, eorum quæ apud *Dulaurensum* occurunt, vel parum sana, vel minimè accurate tradita. Si vis, ut paucis, illis annumerem plura, Obsequor, modo ne petas, ut *Omnia*.

Ab initio itaque ut ordiar; *Quantam* (inquit, *sect. 1.*) vocamus id omne, quod extensionem vel Distinctionem in se recipit; eadem videlicet Quantitatis denominatione duabus his rerum affectionibus significandis accommodata. Quantitatis itaque vocem jam definit, qua nempe significatione intellectam vult. Eandem (*sect. 2.*) dividit (ut alii) in *Continuum*, & *Discretam* seu *Separatam*, quam multitudinem vocat. Mox autem (*sect. 3.*) *Quantitas*, inquit, separata, etiam in rebus omni quantitate destitutis locum habet. Dic, quæso, Quomodo possunt res illæ *Quantitatem* habere, quæ sunt *Omni* quantitate destituta? vel (quod statim occurrit) *Subjectum* *Quantitatis Discretæ*, *Quantitatis expers* esse?

Sed exempla subjicit, *Duo Puncta*, *Tria Momenta*, *Decem Spiritus*, &c. At vero annon *Duo Puncta*, (etiam juxta illum,) *Distinctionem* habent, adeoque *Quantitatem discretam*? Quomodo igitur *Omni* quantitate destituta dicit? Vel, si non habent, Quomodo dici poterunt *discretæ Quantitatis Subjectum*?

Dices forsan, hæc eum velle, *Puncta singula* non esse *Quanta*, esse autem *Bina*. Esto. At peto, an in *Punctis singulis* locum habeat *Discreta Quantitas*? sintve *singula discretæ quantitatis subjectum*? si sic; tum non sunt *omni quantitate destituta*: si non; quomodo hinc ostenditur, quod *subjectum quantitatis discrete*, sit *Quantitatis expers*?

Sed &, ut de *singulis* prospiciamus. Dicit ille, *sect. 3.* Quantitatis ideo esse experia, eo quod in unoquoque *subjectorum* nec ulla distinctio fit, nec extensio. Taceo hic unumquodque dici quantitatis *subjectum* (quod tamen quantitatis expers esse vult:) Quoniam id expressius dicitur, *sect. 4.* *Numerorum*, inquit, *natura*, non simplicem magnitudinem representat, sed ex pluribus *Quantitatibus aggregatum*. Si itaque *Duo Puncta* sint ex pluribus *Quantitatibus aggregata*; horum singula sunt *Quantitates*, non *omni quantitate destituta*. Vides tu, quām hæc inter se bene convenientiunt.

Porro, *sect. 2.* *Distinctio*, inquit, arguit plurimum rerum aggregatum, *Distinctis inter se partibus compositum*; ut est *Populus*, *Acervus*, & unumquodque eorum, quorum partes propriis extremitatibus terminantur & ab alterius sine *discrete* sunt: Atque hujusmodi rerum congeries peculiari nomine *Multitudo* dicitur. Habes hic tum *Distinctionis*, tum *Multitudinis* definitionem: Et utrobique requiruntur *Partes disjunctæ*, & quæ suis extremitatibus terminata ab aliis sint *Discretæ*, non *Continuae*. Et *sect. 5.*

Rrrr 2

*Quantitati*

*Quantitati Discretae, nimirum multitudini, pricipue convenit Divisio: Divisi autem nihil aliud est quam separari, seu Distinguiri: Multitudinis autem naturam in Distinctione positam esse videmus. At statim, seet. 6. Distinctio, inquit, à Divisione differt, &c. unde si Distinctio pro quodam genere accipiatur, erit Divisio pro ejus specie assumenda. At vero, si Dividi nihil aliud sit quam Distinguiri; etiam Divisio nihil aliud erit quam Distinctio? Quomodo igitur Distinctio à Divisione differt? Aut, altera Genus, altera Species ejusdem evenienda erit?*

*Eo, inquit, differant, quod Distinctio quamcunque pluralitatem exprimit; Divisio vero eam solum, que à rerum separabilitate ex ritur. Imo vero non quamcunque Pluralitatem exprimit Distinctio, sensu suo, sed rerum tantum, quæ sunt inter se disjunctæ, ex remittatibus propriis terminatæ, atque ab aliis discreta; Quippe hoc arguere modo dixerat Distinctionis vocem. Quæ vero ita sunt, non modo separabilia, sed & acti Divisa sunt & separata: Nec erit Distinctio Divisionis genus quoddam, sed Divisionem in sua significatione includet.*

*Subdit, seet. 7. Neque Actualis tantummodo Divisio Multitudini concedenda, verum etiam Potentialis tribuenda videtur; non enim unquam ita divisa est, ut pluribus aliis modis secari non possit: Veluti numerus Duodenarius non ita divisus est in partes suas Duodecimas, ut in tertias, quartas, sextas, & adhuc alias quasdam sine nomine dividi nequeat. Verum mihi dicat velim, (ut ab exemplo suo non recedam,) an Duo Puncta (quæm esse Multitudinem satis distinxerat,) sint hujusmodi Divisionis capacia? Nempe, ut nunquam ita divisa esse possint, quia & pluribus adhuc modis secari possint? Vel etiam, an Duodecim puncta (quoniam & hunc numerum jam insinuat) postquam in multitudinis partes duodecimas, (nedum in tertias, quartas, sextas, aliasque Affis partes, quæ suis nominibus censi solent, quales sunt Quincunx, Septunx, Bes, Dodrans, Decunx, & Deunx,) distributa fuerint, in alias adhuc partes sine nomine dividi queant? Quippe si non possint, retractandum videtur quod hic dicitur: si possint, retractandum erit quod modo dixerat, seet. 3. in horum unoquoque subjectorum nullam est: ut distinctionem vel extensionem; secundum utique erit, punctorum quodvis.*

*Postquam autem hæc dixerat, seet. 7. quodque hanc actualem, virtualemque divisionem Multitudo sibi principaliter assumit, (cum Magnitudo potentiale tantum derivatamque participet;) ne sibi non statim contradiceret; subiungit seet. 8. Ex hoc discrimine sequitur, Cunctam vim Multitudinis, (qua certò, inquit, determinatoque partium numero conflatur,) modum in Divisione recipere, sive Divisionis terminos habere, ultra quos sectio amplius procedere nequit; Magnitudinem vero Divisionem in infinitum admittere. Dic, quæso, (modo Oedipus sis) qui hæc simul constare possint, Nunquam ita diridi posse multitudinem, quin & pluribus aliis modis secari possit; Habere tamen certos divisionis terminos, ultra quos sectio amplius procedere? Sed & eadem pluribus prosequitur, Nam, inquit, quando Actualitas dividitur, quia in illa partium numerus determinatur, necesse est divisionis*

*divisionis modos in eodem determinari; & consequenter potentie divisivæ vim, qua tunc ad certos illos modos contrahitur alligaturque, aliquando ex lauriri & tandem omnino sisti, quando videlicet ad ultimam usque divisionem pervenit erit. Atque ad hunc sensum plura.*

Putan⁹ hæc sana esse omnia, quæ ita contradictionibus secent?

Tum *sect. 9. 10.* *Multitudinis ortum & incrementum, à Continua Magnitudinis Divisione, arcessere satagit.* Satis frigidè. Quippe ex suis omnino principiis oritur Multitudo, à continuo natura plane diversis. Nisi & decem spirituum (quos modo memorabat) Multitudinem, ex Continuo Sectione ortam censeri velit. Rectius *Euclidis*; Multitudini, non ex divisione Continui, sed ex Unitatum compositione, ortum ascribit, 2. def. 7. Et quidem, si quando accidit, continuum aliquod in membra dividi, non eo magis *Multa* dicenda erunt, quam si continua non fuissent: est utique ad hoc, omnino accidentarium, quod aliquando fuerint unum. Imo vero Numerus Quadratum in eodem Continuo, *Quaternarius* non mihi us jam est, quam post sectionem erit.

Nec rectius *sect. 11. 12. à Divisione rerumque Distinctione, & Equalitatem, Inequalitatem, aliisque similia, primum orta*, dicit. Quippe eorum, quæ ab invicem satis distincta sunt, fieri potest ut nulla sit vel *Æqualitas*, vel *Inæqualitas*; (puta Temporis, & Lineæ;) *Æqualitas* enim atque *Inæqualitas*, non est nisi inter Homogenea; cum tamen & Heterogenea sint inter se satis *Distincta*. Sed & ejusdem *Continui* *Duo semisses* sunt invicem *Æquales*, & *Triens Quadrante Major*, quamquam (suo sensu) neque *Distincta* sint neque *Divisa*; Quippe *Dividi nihil aliud est, quam separari sine distinguendo*, *sect. 5.* hoc est, *sect. 2.* inter se *disjungi*, propriisque extremitatibus terminari, atque ab invicem *discreta esse*, non continua. Et quidem *Æquale* esse, vel *Inæquale*, omnino abstrahit ab eo quod res continua sint vel disjunctæ. *Duae Horæ Continua*, non minus sunt inter se *æquales*, quam si essent totis annis *Disjunctæ*. Sed & *Idem* est sibi ipsi *Æquale*, (quippe tantundem est quintum ipsum est; quam vera est *Æqualitatis* notio;) sed à seipso *Distinctum* esse vel *Disjunctum*, non erit dicendum. Item, si *Æqualibus A, B, addatur commune C*, tota sunt *æqualia A+C & B+C* (proper communem notionem, si *æqualia æqualibus addantur*, tota erunt *æqualia*;) cum tamen C, quod utrobique additur, non sit à se *distinctum*. Item, aggregata illa *A+C, B+C, æqualia esse posse nemo negabit*, quamquam non sint ita propriis extremitatibus terminata, ut ab alterius fine sint *discreta*, (quod ad *Distinctionem* requiritur, *sect. 2.*) sed sint in eodem C *communicantia*. Sed & *Totum parte sua maius esse*, nemo non dixerit; utut & ea *Distinctum* atque *Disjunctum* non sit. Perperam itaque concidit, *Æqualitatis atque Inæqualitatis principium non aliunde quam ab ipsa Divisione petendum*. Quippe *Æquale esse vel Inæquale*, non minus est immediata Entis affectio, quam *Continuum esse vel Discretum*. Neque illud ab hoc ortum, magis quam hoc ab illo.

Quod

Quod artem ait, *scit. 13.* *Æqualitatem atque Inæqualitatem certas esse Quantitatum inter se habitudines*; omnino verum est. Sed novum non est, quippe hoc ipsum norunt omnes; ipseque jam olim definiverat Euclides, nempe tum has, tum rationes alias, *Homogeneorum invicem habitudines esse*, *3 def. 5.* Quod vero mox sequitur, *Sola quantitatum inter se comparatio, non sufficit ut æquales inæqualiſve dicantur*; sed inter se secundum corporis *sui molem conferri debent*: *Quapropter Æqualitatem Inæqualitatemque certas esse Quantitatum inter se juxta corporis molem amplitudinemque comparatarum habitudines, colligere licet*: Novum quidem est; sed verum non est: nec omnino admittenda est hæc sua Æqualitatis & Inæqualitatis definitio. Certum utique est, *Æqualia esse posse atque Inæqualia, quæ corporis molem nullam habent, adeoque non possunt secundum hanc comparari*: Sic duo tempora, æqualia possunt esse vel inæqualia; Sed & duo puncta duobus punctis, tria momenta tribus momentis, decem spiritus decem spiritibus; numero æquales esse possunt; utut non habeant, secundum quam comparentur, corporis molem. Requiritur utique ad Æqualitatem atque Inæqualitatem, non quidem sola quantitatum comparatio; verum etiam ut quantitates comparatae sint *Homogeneæ*; (quod ex Euclide modo diximus;) ut *juxta corporis molem amplitudinemque comparentur*, non requiritur: ob causas modo dictas.

Neque tam ego ipsi hac in re contradico, quam ipse sibi. Quippe (tangam dictorum *scit. 13.* oblitus, i subjungit *scit. 14.* inter duos numeros, duas lineas, (quæ molem corpoream non habent,) *æqualitatem vel inæqualitatem reperiri*; non vero *inter numerum atque lineam*. At vero, qui fieri potest, ut *nummerus numero* (qui corporis molem non habent) *æqualis sit vel inæqualis*, si ad hoc requiratur, *ut juxta corporis molem comparentur*? Imo vero, quæ molem habent corpoream, non est necesse ut quoad hanc comparentur, quoties *Æqualia dicantur vel Inæqualia*. Possunt utique duo corpora, longitudine æqualia, vel æque alta, vel æque lata, vel æqualiter inclinata, vel etiam æque gravia dici; quæ quoad *corporis molem* sunt inæqualia. Sic duo montes, duabus muribus, sunt æquales numero seu multitudine; utut non magnitudine seu corporis mole.

Verum quidem est, *inter lineam & numerum* (quatenus tales) *æqualitatem aut inæqualitatem non reperiri*; utpote quantitates heterogeneas:) neque inter aliis, quam quæ sunt *eiusdem generis quantitates*. Verum hoc non ille primus docuit, sed Euclides olim; (ut modo dictum est;) atque post illum alii, nedum qui illo fuerunt superiores. (Quamquam hoc ipsum à *Dulaurensio* vix tuto dicitur; ut qui *Æqualitatem atque Inæqualitatem, non in ipsa Quantitatum Homogeneorum natura fundatam esse vult, sed in rerum Distinctione*; adeoque *Heterogeneis*, utpote non minus inter se distinctis pririter convenire debent, atque *Homogeneis*.) Id autem requiritur, ut quoad saltem illud mensuræ genus, quo comparantur, sint *homogeneæ*; ut autem illud sit *moleis corporeis*, non requiritur. Sic *Triangulum Pyramidiæque altum dici posse*, (sin altitudine æquale,) nemo non dixerit? utut  
hæc

hæc corporis molem habeat, illud non habeat: Quoniam quoad altitudinem (secundum quam comparantur) Homogenea sunt, utit alias Heterogenea. Dum vero ille, ad Aequalitatem aut Inæqualitatem requiri docet, *ut juxta corporis molem comparentur*; tu mecum juxta judicabis, credo, hoc minus sanum esse. (Sufficit utique ut juxta Longitudinem, Latitudinem, Altitudinem, angulum Inclinationis, Curvedinem, Durationem, Numerum, Vim, Pondus, Celeritatem, aut aliud quocunque demum sicut quantitatis genus comparentur, quod utriusque comparatorum commune sit; non minus quam juxta molem corporis.) Vides itaque quo tendunt ipsius nova principia, hucusque nondum tradita, quorum hoc unum est.

### *An Account of some Books.*

1. OLAI BORRICHII, *Medici Regii, &c. in Acad. Hafn. Prof. publ. De ORTU & PROGRESSU CHEMIAE Dissertatio, in small 4° Hafniæ, 1668.*

**T**HIS Author makes it not his maine busines in this Book to shew the progress of the Performance sand Effects of Chymistry, and to what pitch men are arrived thereby, to e-vince its great usefulness both in Phyfick and the Discovery of Nature (though he toucheth something of both;) but he chiefly informes the Curious of its first Original, and Progress from place to place, how it sprung up and flourished in Ægypt; passed thence, into *Greece, Italy, Arabia, China, Spain, France, and all Europe.* And because *Conringius* and *Ursinus* do mainly interpose in this Progres, he endeavours to remove the rubbs, which they cast in the way.

Here and there he inserts some Observations, which would be considerable enough, if they might be relied on. E. g. About *Metallick Germinations*; where he relateth one of them, very admirable, seen by one *San-Simon*, to whom he giveth the Character of a man of great veracity, and of no credulity; who living about 25 years agoe at *Brussels*, was visited by a stranger, who having prefaced to him, what some had told him of his curiosity and ingenuity, as well as of his incredulity concerning

the